IN OBITVM THOMÆ RHÆDI, VIRI VNDEQVAQVE MERITISSIMI, ET SERENISSIMO REGI AB EPSTOLIS LATINIS EPICEDIVM.

1070. b. 13
11

AC: OX

M.DC.XXIIII.

IN OBITVM

THOMÆ RHEDI,

VIRI VNDEQVAQVE
MERITISSIMI,

ET

SERENISSIMO REGI
AB
EPISTOLIS LATINIS

EPICEDIVM.

M.DC.XXIIII.

IN OBITVM *THOMÆ RHÆDI*

EPICEDIVM.

Scilicet hoc fatum eſt validæ virtutis, et acris
Ingenij hæc geneſis, dum Famæ extendere met
Vltra buſta parat, vitæ pomeria in arctum
Contrahit, accerſit funus dum funeris expers
Emolitur opus, fit et vmbra vt colligat auras:
Sic querimur te Rhæde rapi: dum totus anhelas
Mnemoſynes clarum faſtis inſcribere nomen,
Et vel priuatis iuuat impalleſcere chartis
Vt poſſis prodeſſe orbi, vel iuſſa capeſſis
Regia, et Auſonio donatur epiſtola cultú
Ad Reges mittenda alios, ſub pondere tanto
Ilia paulatim ducis: vis ignea mentis
Imperia in famulos tam dura exercuit artus
Vt non ſufficerent vires conatibus altæ
Indolis, et magnæ captantis pręmia famæ,
Sed macie exangui pallentem lurida tabes
Occupat, et lentâ carpit præcordia flammâ:
Conſumptam ſic ſæpe facem conſpeximus, omnem
Dum lucem impendens alienis vſibus, altê
Liquitur, et proprias depaſcitur igne medullas.
Si qua tamen ſpes eſt victuri nominis vlli
Si qua Nouenſilibus viſeſt conceſſa Deabus
Cultores ſacrare ſuos, Tua poſthuma Rhæde

Inumera-

Innumerabilibus caneſcet gloria ſęclis.
Nempe tibi infanti quâ Scotia vergit ad Arctos
Ipſa fuit Pallas nutrix, dedit vbera, cunas
Impulit, adduxit ſomnos modulamine cantûs
Auſonii Graiiq;: dein cum prima tenellus
Tentamenta pedum faceres, per deuia Pindi
Teſqua, per Aonios lucos et amœna vireta
Fortunatorum Nemorum quæ laurus inumbrat
Ipſe tibi rexit phœbus veſtigia, toto
Pieridum plaudente choro: tunc firmior annis
Fælici auſpicio Sophiæ per cuncta vagaris
Naturæ ſecreta, vides quęcunq; profundis
Democritus putei finxit demerſa latebris:
Mente etiam petis alta poli, velumq; reducente
Vranie, humanis impervia viſibus audes
Rimari, et toto latè diſcurrere cœlo.
Subſidijs fretum tantis, talique ſaburrâ
Libratum iuuat a patrio ſecedere fumo.
Externaſq; videre plagas, (ſic matre relicta
Deſerit anguſti genitiua cubilia nidi
Alarum tyrocinium factura volucris:
Sic tractus alio quærit ſub ſole iacentes!
Mercator patriæ fructus et munera terræ
Permutaturus peregrini mercibus orbis.)
Gallia viſa tibi primùm, ſed Gallia tantùm
Viſa tibi, per tranſennam (ceu flumina Nili
Delibat canis) attraxit Germania philtro
Et precis et pretij, geminâq; hac arte morandi
Conſilium

Conſilium extorſit; geminas ſic inter amicas
Eligitur non quæ roſeo formoſior ore eſt,
Sed quæ peruigili ſtudio magis inſtat, et vrget
Fortius affectum Paphiæq; incendia flammæ.
Palladis in caſtris multâ hîc cum laude merentē
Et victa de Barbarie ſciolisq; ſophiſtis
Ducentem inſignes fama victrice triumphos,
Lipſia detinuit longum; Quis credidit illic
Se ritè admiſſum in Phœbi ſacraria Rhædo
Non pandente fores? Quis per dumeta Lycei
Auſus iter tentare niſi duce et Auſpice Rhædo?
Nec tibi fama minor quà Balthica littora ſpectat
Roſtochium, paucis iſthic tibi plurimus annis
Creuit honos, nullo non admirante profundæ
Doctrinæ aggeſtos tot in vno pectore aceruos,
Fæliceḿq; viam fandi, quocunq; liberet
Ore loqui, quocunque habitu producere partus
Mentis, et exanimes ſcriptis animare papyros.
Æqua tamen tantæ virtuti premia nondum
Contigerant, non ſcena ſatis contermina luci
Hanc tibi debebat florentibus inclyta rebus
Anglia, florenti fueras flos debitus Aulæ,
Et decuit tali talem clareſcere theatro.
Namque Mineruæ, quamuis nutritus in vmbrâ
Non tamen in curis fueras ciuilibus hoſpes,
Sed te dexteritas genij verſatilis aptum
Finxerat ex æquo ſtudijs aulæque ſcholæque,
Vnde capeſcenti grauiorum pondera rerum
Tradenti

Tradenti et Latijs mandata Auguſta tabellis
Incorrupta fides, ſolers induſtria, coctum
Iudicium, et priſcæ certans facundia Romæ
Hîc magnum peperere decus, quodq; omnia vincit
Elogia, hîc magno Regi potuiſſe placere
Contigit, et talem meritis adſciſcere teſtem
Quo nihil in terris ſapientius adſpicit æther.
Ille tuum eloquium tanto eſt dignatus honore
Vt tibi non alij propriæ monumenta lucernæ
Crediderit vertenda illo ſermone per orbem
Quo peregrinari poſſent, et Regibus eſſe
Pro ſpeculo, non quâ ſceptris ſtat meta Britannis
Sed quâcunq; patent Latiæ commercia linguæ.
Iamq; hîc ad ſummum voti veniſſe cacumen
Rhæde videbaris, nihil amplius addere laudi
Fama tuæ poterat, nihil illi aut liuor auarus
Detrahere, aut Nemeſis rebus non æqua ſecundis,
Verùm O perfidiam fati! quod demere laudi
Haud potuit, luci et vitalibus abſtulit auris.
Et tu Rhæde iaces opera inter manca, minaſq;
Scriptorum ingentes, quæis ſi ſuprema fuiſſet
Cum limâ porrecta manus, non vlla fuiſſet
Calliopes toto Sophiæuè illuſtrior albo
Quam quæ Rhædeum præferret pagina nomen.
Nunc ceu rapta tuis ſuperant tantũmodo buſtis
Paucula furtiuas Schediaſmata fuſa per horas,
Qualiacunq; tamen ſunt hæc, hæc ipſa reuincent
Eſſe Caledonijs etiamnum numen alumnis

Et

Et Genium quo vel Scoti Subtilis acumen
Vel poterunt dulces Buchanani æquare Camænas.
Iamq; vale mi Rhæde,(mei ah pars maxima quondam
Nunc cœli pars magna)tuo mihi ſunere tantum
Cordolium inflixit fati importuna tyrannis
Cogat vt incæptas lachrymis abrumpere laudes.
Heu quoties dixi deſcendam lætus ad vmbras
Elyſias, moriarq; libens,modo carmina noſtro
Inſcribat tumulo Rhædus, nunc ordine verſo
Naturæ votiq; mej,(proh fata)ſub vmbras
Is prior, et nobis demandas penſa Supremi
Officij, quæ dum multis firmatus ab annis
Nodus amicitiæ ſatagit perſoluere, charis
Manibus obſtrepimus, non iuſtaq; iuſta ferentes
Indoctâ heu doctam pietate laceſſimus vmbram.
Tu tamen affectu placido libamina noſtri
Affectûs capias, poterit meruiſſe videri
Qui propriæ famæ impenſis tua nomina famæ
Tradere, et ad ſeros voluit transferre nepotes.

Faciebat R. A.